

QV. 232

X 2120793

Z c  
5887

Automaton Dresdense

inauditum,

h. e.,

# HOROLOGIIUM

Præstantissimum ac præ cæteris hæctenus

visis longè perfectissimum, à variis incommodis vindicatum, desideratis verò commoditatibus, quantum possibile, dotatum;

ex Inventione

*DAVIDIS MEIBACHII,*

*Misnico-Chemnicensis,*

nunc verò

Curiosorum artistarum in gratiam,  
in publicum missum

à

*Johanne Jacobo Klipfelio,*

*Elect. Saxon. in Chirurgicis Archiatro.*

PIRNÆ,

LITERIS STREMELIANIS.





2. 2.

1772

MUSEUM

INSTITUTUM  
HISTORICUM ET GEOGRAPHICUM  
MUSEUM  
HISTORICUM ET GEOGRAPHICUM

INSTITUTUM  
HISTORICUM ET GEOGRAPHICUM

INSTITUTUM  
HISTORICUM ET GEOGRAPHICUM

INSTITUTUM  
HISTORICUM ET GEOGRAPHICUM

INSTITUTUM  
HISTORICUM ET GEOGRAPHICUM



ta  
il  
ft  
a  
o  
in  
n  
n  
r  
p  
n  
ti  
al  
e  
e  
M  
p  
p  
p







O. A. M. D. G.



*Inventis facile addere, quàm verum, tritissimum licet, sit ad verbum, plurima à multis abhinc seculis quædam quidem inventa, ast in hunc usque diem imperfecta, nec ad desideratum perfectionis gradum producta ubivis obviam monumenta contestantur. Et ut ex tantâ rerum farragine unicum saltem proferamus, automata illa, horologia dicta, quæ per tot ab inventionem secula ad nostra usque tempora devoluta, tot tantosque præter omnem artificis diligentiam, defectus adhuc præmonstrant, instar omnium sufficere possunt. Non nego quidem, egregia hinc inde de egregiâ artificis suâ manu contestari opera: non nego quoque, unum atque alterum artificiosissimè concinnatum esse Horologium, hominû animos in admirationem rapere validissimum. Est ingens & non minus artificiosum præcellentissimum, inter cætera alibi reperibilia, Argentensium illud, à Dassypodio, insigni tempore suo Mathematico, concinnatum, Temploq; ibi summo appositum. Sunt alia pretiosa, magnoq; studio fabrefacta, ad mirabiles effectus edendos inventa, quibus Magnatorum hinc inde Cimeliæ exornantur. Sunt, quorum quædam varia instrumenta Musica doctissimi ad instar Musici dirigunt; quædam tympanorum sonos modificant, cantilenas modulantur, aut statuas variæ posituræ ad vivum quasi animant. Sunt, quæ præter temporum dimensionem totius insuper cœli tam primum, quàm secundum motum repræsentant. Romæ,*

) 2

quod



quod multum, Kircheriano isto in Musæo insigne adeo atq;  
curiosum Horologium reservatur, ut ob insignes, quos edit  
effectus, theatrum mundi appelletur. Motum alia singulari  
Artificis ex industriâ per longum temporis spatium conti-  
nuare valent. Stupendâ alia quâdam diligentîâ in subtilem  
adeo formam concentrantur, ut visum ferè omnem, etiam  
acutissimum, effugiant. Sunt & alia, quorum motus non  
communi & antiquo illo per librarium modo, verum longè  
certiori, mediante perpendiculo, moderatur. Quid? quod  
non adeo pridem Horologia quædam repetitoria in con-  
spectû prodière, sic dicta, quòd præ aliis hætenus inventis,  
statas solummodo horas absque ambagibus, exigentis ad  
nutum, repetere sint instructa. Nedum alia, de quibus Curio-  
forum forsan mundus gaudet. Quæ tamen omnia, cum nec  
uno eodemque tempore producta, minus unico ab artifice  
excogitata, sed diversissimis sæpe temporibus, dissitisq; in lo-  
cis, à diversis dissitisque autoribus, collata fuerint; liquido  
sanè constat, inventis, ut dicitur, non adeò facile esse, melius  
addere inventum; alioquin in numerus hisce in vigilantium  
numerus non tot seculis in cassum laborasset. Verùm  
enim verò, uti plurima Veterum possidebat industria, quæ  
nos planè latuisse fatemur: ita modernum quoque seculum  
præ Veterum, de quo gloriatur, monstrat. Et ut rem ipsam  
attingam, quot incommoda, quot defectus Veterum Horo-  
logiis adhuc adhæsere, quibus avertendis tot Artistarum in-  
vigilare capita, torseque sunt ingenia? Sed uti nec omnis  
fert omnia tellus, ita nec obstante Veterum, quam præten-  
dere, impossibilitate, talismodi in præsentiarum Curiosis  
consecratur opus, à notis non solum incommodis, quod ma-  
ximam in partem repurgatum, verum ad ultimum quoque,  
si dicere fas est, perfectionis ac commoditatis gradum est  
productum. Quod, quò magis omnem hætenus talismodi  
meditantium spem ac ingenium transcendit, ita minus  
quo-



quoque proverbium nobis allegatum ab Autoris nostri, quam meretur, laude quicquam detrahere; sed potius Cedro affigere valebit: & quò plures Curiosorum ex Primatibus illud ipsum artificium auro comparare jam tum quæsi- vère, eò magis illud ipsum Autoris quoque nostri laudes cu- mulabit: imò dulcissima quoque Saxonia nostra palmam in hoc omnibus reliquis, qui quæsi- vère, regionibus præri- piet, eò, quod ex gremio ipsius genuinum istum artis filium propullulare ipsi gratulemur. Et sanè, cum Anglis suis de- betur honos, qui strenuè hacce in palæstra confudarunt, & in Horologio suo, repetitorio dicto, aliisque, præ aliis, rari- oribus inventis, de quibus gaudent, invenerunt; major sa- nè, nedum maxima, Misniæ nostræ, quò nimirum perfecti- us, quò commodius, quò magis inauditum, minusq; forsan Anglis ipsis desideratum illud Meibachii nostri est inven- tum. Quod ipsum | quò Curiosis magis innotescat, ipsissi- ma ipsius verba Autoris, quibus ab effectu opus suum ad- umbrare voluit, subnectere mihi placebat. Lege, Benevole Lector, atque fave.

Notæ quædam diversitatis, quibus Horologium, non ita pridem mihi inventum, à cæteris, & inspecie ab An- glorum sic dictis repetitoriis, differre observavi.

Et primò quidem in motu ipsius nullus planè librarii mo- tus animadvertitur, etiam in tantum, ut cuivis etiam, illud intuenti, vel planè immobile quiddam videretur; quamvis per motum continuum sibi proprium omnia Horologiis præstanda præstare valeat.

Secundò inter pulsandum nullus etiam stridor aut ro- tarum strepitus, reliquis horologiis familiaris, sed pu- rus putus campanulæ solummodo sonus observatur: ex quo etiam fundamento talismodi Musicum quoque automaton, quod tonum suum quàm purissimè, doctissi- mæ



simæ ad instar Musici manus promit, erigere mihi con-  
fido.

Tertiò in Horologio quoq; meo notatu dignissima re-  
pentina illa ac momentanea quasi aberroneo inordinari-  
um motum restitutio: Sufficit enim mihi, indicem solum-  
modo in quendam mihi præconceptum numerum ablega-  
re, cui illico numerus pulsuum respondebit; abducto verò  
in alium quemcunque & quocunque ordine, sive antror-  
sum sive retrorsum, eundem quoque malleus mihi reddet:  
imò, quotiescunque malleum, per clavem ad hoc destina-  
tum, ad pulsandum mihi invitare placet, toties quoque nu-  
merum, non ordine sequentem; (quod reliquis familiare)  
sed eum ipsum etiam vel millies pro lubitu repetere potest.

Quarto autem illa horarum repetitio non ex Anglicâ  
illâ inventionem, utpote ad hanc peculiarem machinam exi-  
gente, derivatur, quia in meo opere hæc ejusdem solummo-  
do machinæ, malleum scilicet agentis, beneficio ministra-  
tur. Quod, quantumvis artis peritis durum videretur, co-  
ram tamen ad sensum cuivis præmonstrare possum.

Quinto, hocce meum inventum in eo ab Anglorum  
differt, quod machinam, indicem circumagentem, propter  
omnimodam stridoris absentiam de nocte conservare,  
malleum verò moventem, ne somni quies perturbetur, su-  
spendere, ac de mane expergefactus relaxare queam; hæc  
tamen cum conditione, ut, quocunque noctis momento re-  
fuscitatus, per filum quoddam, lecto meo annexum, & cla-  
vem machinæ trahentem, ipsam relaxare mihi placet, ex  
tempore quoque horam indici proximam, & millies, si lu-  
bet, eandem, *aut diversâ vice aliam desideratam*, pulsu mihi in-  
dicabit: addito, quod per filum elicita horâ auditâ, machi-  
na tamen suspensa maneat, neque ulterius audiatur, nisi vel  
per clavem ulterius invitetur, aut de mane mallei saltem re-  
laxatione tota quoque machina ad ordinarium motum

com



componatur. Huc iterum Anglorum non quadrat inven-  
tum, utpote in quo, machinâ pulsatoriâ suspensâ, nihilomi-  
nùs librarii & strepitus rotarum inter pulsandum moleste  
percipitur, & totâ nocte nil nisi hora suspensionis termino proxi-  
ma repetitur; de mane autem non nisi communi illâ & serie factâ  
horarum explosione â suspensâ usque ad desideratam diei horam  
deduci dirigique conceditur.

Sexto, horologium quoque meum inter pulsandum  
tendere possum, serie pulsuum non interruptâ, nec librato-  
rii motu, si alio mihi modo tendere placet, intercepto.

Septimo, meum quoque non cum cæteris errantibus  
duarum pluriumve horarum numerum collectim unâ se-  
rie, sed, interposito semper horæ spatio, indigitatum solum-  
modo pulsu notificat.

Octavo, beneficio quoque dictæ clavis pulsus pro lubi-  
tu in infinitum continuare possum, non perturbatis mox  
sequentium horarum ordine, aut quibuscunque conveni-  
ente pulsu numero.

Nono, quod omnium curiosissimum, numerum quen-  
dam indigitatum, e. gr. decimum, non solum aliquoties  
eundem repetere, aut pro lubitu, ut dictum, sine ordine ad  
centum & ultra augere, sed, quod Artifices mirabuntur,  
pro lubitu minuere, & post tertium, quartum &c. pulsum, in-  
dice non tacto, per clavem, quò minùs decem pulsus absol-  
vat, suspendere, & tamen paulò post eundem decimum nu-  
merum totum pulsu absolvere scio.

Decimo & ultimo, si forsân hocce meum inventum et-  
iam vilissimo alii Horologio, quoad effectum, cederet, suâ ta-  
men ex compendiositate (ut ita loquar) & rotarum paucita-  
te (tertium scilicet numerum in totum non excedente) præ  
aliis, quorum simplicissimum 7. ad minimum rotis est in-  
structum, magnificandum; nedum, quòd secundum decem  
data puncta etiam curiosissima alia & pretiosissima supera-  
re de-



re demonstraverim: nec attacto, quod, quò simplicius, eò quoque durabilius quid existat, & plus artis requiratur, per exiguum & compendiosum opus plura, eaque plane singularia, quàm per laboriosum amplissimumq̃, aut planè nihil, aut nihil nominis dignum præstitisse. Quibus tandem addo, quod, quantumvis meum hoc ab initio inventum ad horarum solummodo dimensionem, demonstrationem, pulsusq̃ indicationem respexerim, nihilo tamen minùs ad varias alias præclaras machinationes coaptare sciam. Siquidem multæ quoque machinæ gratiorem darent effectum, nisi strepitus rotarum gratiam defœdaret; imò multi artifices inventa sua ad altiore perfectionis gradum perduxissent, si ascensum, descensum & transgressionem numerorum, in meo notandam, callerent. Et quantumvis ascensus & descensus Horologii mei numerum duodecimum, horologiis utpote convenientem, non transcendat, in aliis tamen machinis, pro rei necessitate, ad centesimum usque, & quod excurrit, extendere mihi conservo.

Et hic est tenuissimi ingenii mei partus, brevibus & succinctis delineatus; quem Curiosis omnibus videndum & à posteriori examinandum, à priori autem certo pretio communicandum, humillimè offero: spe fretus, fore, ut beneyolo semper animo accipiant, me meosque labores quàm commendatos habeant.

Vale!





Q. 232

Automator  
inaud  
h.

# HOROL

Præstantissimum ac

visis longè perfectissimum  
dicatum, desideratis verò  
tum possibil  
ex Inve

## DAVIDIS

Misnico-Cl  
nunc

Curiosorum artifi  
in publicu

*Johanne Fac*  
*Elect. Saxon. in Ch*

PIR  
LITERIS ST



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

